

Matthaeus Volland Daniel Berckow

## **Collegii Logici Disputatio VII. De Enunciationis Simplicis Affectionibus, Qualitate, Quantitate, Finitate ac Infinitate, Oppositione & Aequipollentia**

Rostochii: Kilius, 1642

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729608360>


Druck Freier  Zugang



Ru. phil. 1642

Voland, Matthias,  
Collegii logici disputatio  
2-11







COLLEGII LOGICI  
Disputatio VII.

De  
**ENUNCIATIONIS**  
SIMPLICIS AFFECTIONIBUS,  
QUALITATE, QUANTITATE, FINITA-  
te ac Infinitate, Oppositione &  
Equipollentia.

*Quam*  
PERMISSU  
Amplissimæ Facultatis Philosophicæ  
In Alma Rosarum

SUB PRÆSIDIO  
**M. MATTHÆI VOLAND,**  
Mœno-Francofurtani S. S. Theol.  
Studioſi,

*Præstantissimis & literatissimis suis Dominis  
Collegis ventilandam proponit*

**DANIEL BEXARDUS**  
Suerino-Megapolitanus.

*Ad diem 11. Junij.*

ROSTOCHII,

Litteris NICOLAI KILII Acad. Typog.

ANNO dō 10c XLII.









Collegij Logici  
DISPUTATIO VII.

De

ENUNCIATIONIS SIMPLICIS  
AFFECTIONIBUS, QUALITATE,  
QUANTITATE, FINITATE AC INFINITA-  
te, oppositione & Æquipollentia.

THESIS I.



Actenus de natura & partibus Enunciationis & earundem notis in præcedenti disputatione aliquid diximus sequuntur porro ejusdem *qualitas* & *quantitas* &c.

2. Juxta qualitatem propositio est vel affirmativa vel negativa,

3. Propositio affirmativa est, quæ dicit prædicatum inesse sub-  
jecto; ubi notandum *particulam τὸ* inesse non sumi pro *inhærentia*  
*Physica*, sed pro *quacunq; competentia*. Sic *paries videtur, virgo*  
*amatur*, in hisce propositionibus, prædicatum non inhæret *Physicè*  
*in* subiecto, sed dicitur saltem *competere* suo subiecto. Propositio  
affirmans vocatur aliàs *absolutè affirmatio*, vel *κατὰ φασιν*. Hinc  
*Aristoteles* definit, ita lib. de Interp. cap. 6. *κατὰ φασιν ἔστιν ἀπό-*  
*φασιν τίνος κατὰ τίνος* i. e. *Affirmatio est enunciatio alicujus*  
*de aliquo*.

4. Negativa propositio est, in qua integrum prædicatum re-  
movetur à subiecto, & ita ab eò dividitur, ut *Leo non est asinus,*  
*equus non est canis* Vocatur aliàs *absolutè Negatio*. Quam *Aristo-*  
*teles* ita definit *ἀπόφασιν ἔστιν ἀπόφασιν τίνος ἀπὸ τίνος*. i. e.  
*Negatio est enunciatio alicujus ab alio*. Dicitur autem in prima no-  
stra definitione propositionis negativæ, non absq; ratione inte-  
grum prædicatum debere *removeti* à subiecto suo, si *revera* nega-

A

tiva



tiva propositio esse debeat: siquidem hæc propositiones Pontificii colunt non Deum, Leo est non homo <sup>etc.</sup> non sunt negativæ, quia integrum prædicatum non removetur in eisdem Verum vice versâ hæc sunt revera negativæ. *Petrus non disputat*, Nullus homo est lapis, quia integrum prædicatum in iisdem de subjecto suo removetur.

5. Hæc nota modo in thesi præcedenti posita probe est observanda propter propositiones Modales & exponibiles, quæ si debeant esse verè negativæ, modos & particulas exponibiles una cum prædicato removen: ut *Solus Petrus non est animal*, omnem hominem contingit non esse doctum hæc propositiones non sunt negativæ, quia particula exponibilis in priori propositione, & particula modalis in altera propositione non removetur.

6. Enunciatio negativa est talis vel formaliter & actualiter vel virtualiter & eminenter.

formaliter

7. Enunciatio formaliter negativa est cum prædicatum removetur à suo subjecto per expressam particulam negantem justo loco positam: ut *Monarchia non est Aristocratia*. *Magistratui iniqua & mandato divino contraria precipienti non est parendum*. Dico remotionem à subjecto fieri debere, per particulam negantem justo loco positam, ut ita distinctio innatur ipsius propositionis verè negativæ & infinitæ, in qua particula negans non ponitur justo loco.

2<sup>o</sup>

8. Querere ergò licet quando particula negans ponatur justo loco ubi respondemus, tunc eandem justo poni loco, cum 1. præfigitur signo quantitatis, ut *Non omne bonum est speculativum*. *Non omnis caro justificatur ex lege*. Gal. 2. 2. cum particula negans includitur signo, ut nullus equus rugit. 3. cum præfigitur copulæ ut Homo non est leo.

X

iao virtualis  
hæc

9. Negativa autem Virtualis est, quando enunciatio est actu affirmans & saltem habet virtutem negandi: ut *omnis homo præter Christum est peccator*: hæc actu est affirmans, non enim prædicatum remotum est per expressam particulam negantem: sed tamen virtute est negans est enim propositio exponibilis & quidem exceptiva, hinc in alias enunciationes est resolubilis, videlicet, in hæc: *Christus non est peccator*. & omnis homo, qui non est Christus est peccator



peccator. Sic hæc propositio: solus homo est risibilis, actu est affirmans, virtute tamen negativa, ita enim resolvitur, *homo est risibilis; Et quicquid non est homo non est risibile.* Sic omnes enunciationes, quæ habent terminos exclusivos, exceptivos, aliosq; qui vim saltem negandi habent, virtualiter negativæ sunt.

10. Porro negativa propositio est vel absolute vel respectivè talis.

11. Absolutà negativa propositio est, quæ absolute negat, & in se extra collationem cum aliis spectatur ut *aqua non potest esse sicca.*

12. Respectivè negativa propositio est, quæ negat in respectu & ordine ad aliam enunciationem & hujusmodi negationem cernere licet in statu oppositionis, ubi duæ propositiones inter se opponuntur ut cum dico: *Solus homo habet duos pedes*, huic ita opponitur; Non solus homo habet duos pedes, quæ jam est negativæ secundum quid & respectivè.

13. Canones I. De quolibet vera est aut affirmatio, aut negatio. Verus est hic canon de contradictoriis, non autem valet in contrariis. Sic non V. C. *omni homo est rusticus*, Nullus homo est rusticus V. tamen C. *Omni homo est animal, quidam homo non est animal.* II. Duæ negationes, cum cadunt in eundem terminum, apud Latinos habent vim affirmandi ut *nonnulli homines sunt Philosophi* aliqui homines *sunt Philosophi; Petrus non non est Politicus* i. e. est Politicus. Canon autem hic verus est de veris negationibus, ubi una negatio alteram impedit juxta illud: *negatio omni malignanti nature est, & destruentis alias non procedit.* Dico deinde duas negativas particulas cadentes in unam & eandem copulam affirmare apud Latinos, ut ita diversitas regulæ hujus, quæ est apud Græcos indicetur: Apud Græcos enim duæ particule negativæ fortius negant ut Luc, 21. v. 33. *ὅρατε ἅ καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται ὁ δὲ λόγος μὲν ἔμῃ παρελεύσεται.* i. e. cælum & terra transibunt, at verba ἔμῃ) prorsus non transibunt III. Particulla Non cum veram constituent negationem, neq; ad subjectum neq; ad prædicatum pertinet sed ad copulam. Tribus autem modis illa particula negandi Non in copulam fertur. I. cum immediatè præponitur veræ copulæ ut:



*canis non est equus, Princeps vel Imperator non est solatus legibus (naturalibus divinis & fundamentalibus) 2. cum præponitur signo quantitativo vel explicite ut: Non omnis homo est miles. Non omne imperium est aristocraticum vel implicite cum coalescit cum signo & ei includitur, ut: Nullus angelus est corporeus. 3. cum præponitur verbo adjectivo includenti copulam, ut, Petrus non disputat.*

IV. Copula est principium Quo affirmationis & negationis in propositionibus tam simplicibus quam compositis: Si enim copula in propositione tam simplici quam composita verè est negata, etiam ipsa propositio verè est negata ut *homo non est doctus. Non si asinus volat habet pennas.* Principium autem Quod affirmationis & negationis est tota enunciatio, ea enim denominatur vel Affirmativa vel Negativa. V. Unius positio non est alterius negatio. Item Unius negatio non statim est alterius affirmatio. Sic qui dicit *quendam hominem esse risibilem* non negat omnem hominem esse risibilem: Sic pari ratione qui dicit, quosdam homines esse vocatos, non debet negare juxta hanc regulam omnes homines esse vocatos. Sic etiam de negationibus judicium sumendum est: Nam unius negatio non statim est alterius affirmatio: ut Non omnes homines sunt boni non licet jam inde inferre, quod quidam homines sint boni.

14. Hactenus de qualitate propositionum aliquid egimus, sequitur nunc ordine proposito ipsa doctrina de Quantitate.

15. Quantitas est extensio prædicati ad subjectum: Prout enim prædicatum est extensum vel ad omnia subjecta per signum universale distributa, oritur propositio universalis, si vero ad certa & particularia subjectum extensum est Prædicatum per signum aliquod particulare resultat propositio particularis; si vero se extendat prædicatum vel ad omnia vel ad aliqua subjecta, non tamen per signa quantitatis indicata, oritur indefinita propositio, & tandem cum ipsum prædicatum se extendit ad singulare aliquid subjectum, nascitur inde propositio singularis.

16. Juxta quantitatem igitur propositio est vel universalis vel particularis, vel indefinita vel singularis.

17. Uni-



17. Universalis p̄p̄ositio est cujus subjecto appositum est signum universale. *Aristot. lib. 1. priorum Analyt. c. 1. ita loquitur de universali propositione: λέγω δὲ καθόλου μὲν τῷ πάντι ἢ μηδενὶ ὑπάρχειν* Universale appello omni aut nulli inesse.

18. Sunt autem signa Universalia: Omnis, quicumq; quisquis, Universi, cuncti, nullus, nemo & voces similes. Nota autem signa, quicumq;, quodcumq;, quicquid, esse terminos mixtos, & in se continere tam signum quantitatis, quam etiam partem aliquam extremi uti patet ex syllogismo hoc: Quicquid non est rationale nō est risibile, lapis non est rationalis Ergo lapis non est risibilis. Major ita resolvenda est omne id quod non est rationale, non est risibile sic jam subsumendum, lapis est id, quod non est rationale Ergo lapis non est risibilis: Sic etiam loquimur in Germanica nostra lingua: *Ein jedweder der. v. g. Ein jedweder der Gottesforchtig ist, hat die verheißung / dieses vnd des zukünftigen Lebens.* Sic etiam Græci loquuntur *πᾶς ὁ 1. Joh. 5. v. 1. & 4. πᾶν τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ θεοῦ νικᾷ τὸν κόσμον* Alles was von Gott gebohren ist / überwindet die Welt: Quicquid ex Deo natum est vincit mandum. Hebræi dicuntur *שׂוֹן לְבָר* &c. Sic etiam signum nihil est terminus mixtus, includens signum & terminum vel subjectum, ut nihil est utilius amicitia id est nulla res est utilior amicitia. Præterea hic observandum est, signa universalia universalitatem non afferre, sed saltem indicare & signare: Sicuti omne signum non dat alicui esse sed manifestat illud esse, Sic fumus non dat esse ipsi igni, sed tantum manifestat; Potest igitur subjectum esse universale, licet signum non sit appositum: ut animal est homo, ut autem indicetur ista universalitas, signum est apponendum. Hinc Logici solent distinguere inter propositionem universalem ratione materiæ & ratione formæ consideratam.

19. Requisita propositionis universalis hæc sunt: I. Ut enunciatio sit universalis. signum non apponatur prædicato sed subjecto: *ut hæc propositiones non sunt universales: Petrus amat omnes libros. Intellectus noster cognoscit omne ens. Deus diligit omnem creaturam.* II. Ut enunciatio sit universalis signum debet addi principali termino subjecti; ut, Omnis contradictionis pars altera est falsa.

*Signa in  
rebus univ.  
tantum si*



Omnis hominis equus est quadrupes; Enunciationes hæc non sunt universales quia signū universale apponitur minus principalibus partibus subjectorum. III. Ut propositio sit Universalis signum debet accipi universaliter & distributivè. Ubi notandum est particulam Omni sumi quadruplici modo: 1. collectivè, cum sumitur pro aliquibus simul combinandis: ut, omnia elementa sunt quatuor, omnia prædicamenta sunt decem: Omnes Apostoli, sunt duodecim. i. e. omnes Apostoli simul sumpti sunt duodecim. Hæc observatio Sophismatum solutioni inservit: ut cum profero hæc: *Ob.* Omnes Apostoli sunt duodecim, Petrus & Paulus sunt Apostoli, E, Petrus & Paulus sunt duodecim. Omnia prædicamenta sunt decem; substantia & quantitas sunt prædicamenta Ergo substantia & quantitas sunt decem. Vitium est in forma, major enim non est Universalis in duobus hisce syllogismis, at in prima figura major debet esse universalis. Quod autem major non sit Universalis, apparet: sumitur enim particula omni collectivè, at cum ita accipitur hæc particula propositionem non reddit universalem, imò potius pars est ipsius subjecti, nec est verum signum quantitativum. 2. particula omnis sumitur pro toto: ut omnis scriptura est sufficiens ad salutem i. e. tota scriptura est sufficiens ad salutem: Cum verò particula omnis sumitur pro toto, vel Synechdochicè pro plurimis seu majori parte, tunc non resultat propositio Universalis. *Obiect.* Hinc facilissimum solutu hoc est sophisma: Omnis scriptura est sufficiens ad salutem, epistola ad Philemonem est scriptura Ergo epistola ad Philemonem est sufficiens ad salutem. *Obiect.* Vitiositas hujus syllogismi ex majore non universali nata est. 3. particula omnis sumitur pro variis sive alterley & ita propositio verè & accurate, universalis etiam non redditur: Hinc solutio sophismatis hujus nemini non patet, si modo hanc acceptionem intelligat: Omne animal fuit in arca Noë, Tues animal, Ergo tu fuisti in arca Noë: Conclusio est falsa, at falsitas conclusionis est ex aliqua præmissarum, vel ex, majore vel ex minore, non ex minore quæ est verissima Ergo ex Majore, quæ non est completè universalis: quando enim particula Omnis sumitur pro variis seu uti aliàs loquuntur in suppositione pro generibus singulorum, tunc propositionem non reddit completè universalem, ita ut ad omnia & singula inse-

omnis pro  
logici almasi  
log. Scharffj

Ob.

X

Obiect.

Obiect.

Obiect.

X



inferiora, quæ alias continentur in subjecto, descensus fieri queat. Sed tamen & hi syllogismi rectè videntur concludere modò rectè fiat subsumtio, & termini retineantur iidem: Major enim in syllogismo dato & hujus similibus valet de generibus & speciebus, de generibus ergò & speciebus subsumptio fieri debet non de individuis, & ita videbitur rectè inferri conclusiones. Sic rectè argumentor: Omne animal fuit in arca Noë. Canis est animal Ergo canis fuit in arca Noë minus autem bene: Omne animal fuit in arca Noë, hic canis est animal. Ergo. Hic canis fuit in arca Noë:

4. Particula *omnis* sumitur pro universis & singulis. i. e. Germanicè loquendo *für alle vnd jede* & ita in ultima hac acceptione, propositio fit universalis completè. ut cum dico Omnis homo est animal: Hic enim omnia individua subsumere possum per descensum copulativum: Germanicè rectè dico: *Alle vnd jede Menschen sein animalia*. Cum particula *omnis* ita sumitur, tunc dicitur alias gaudere suppositione pro singulis generum.

20. Universalis enunciatio est vel absolutè vel secundum quid talis.

21. Enunciatio absolutè universalis est quando aliquid sine restrictione dicitur de omnibus seu: in qua prædicatum inest omni suo, subjecto sine exceptione: *Omnis homo est animal. Omnis homo purus concipitur in peccato: Omnis homo sistetur coram tribunali Christi*: Rom. 14. v. 10.

22. Enunciatio verò secundum quid universalis est, in qua prædicatum dicitur universaliter de subjecto suo sub certa restrictione & limitatione. Hujusmodi Propositiones universales sunt ferè omnia axiomata quæ certis limitationibus & restrictionibus indigent: ut *Qualis causa talis effectus: Quicquid est per suam formam. Omne bonum est communicativum sui*: Sic alia sunt exempla: ut *Exod. 20. Nullum opus est faciendum in Sabbatho*, sc. prophanicum, opera enim pietatis & necessitatis hic non excluduntur.

23. Particularis propositio est cujus subjecto appositum est signum particulare: Dico; cujus subjecto, appositum est signum particulare non esse apponendum prædicato ut hæc propositiones: *Deus diligit quosdam homines: Paulus scripsit aliquas epistolas* nō sunt par-



particulares. Ratio est quia lignum particulare non est appositum  
subjecto: Notetur etiam hic per subjectum h. l. intelligi principalem  
partem subjecti.

*Multi.*

24. Signa particularia sunt: Aliquis, quidam, pleriq; non nulli, reliqui &c: Huc referunt aliàs etiam particulam, multi: Verùm de hac particula notandum est, eandem neq; præcisè universalitatem, neq; præcisè particularitatem notare, sed indifferenter sumi, & rei rationem habendam esse. Sic Matth. 20. v. 28. notat hæc particula, multi universalitatem, quod patet ex collatione loci paraleli, qui extat 1. Timoth. 2. v. 6 & multorum aliorũ. Sic multi homines sunt docti: hęc notat particularitatem. Huc etiam referunt particulam pauci; ut: pauci homines timent Deum i. e. quidam homines non timent Deum. Notetur hic loci hic syllogismus: Omnes electi sunt vocati pauci sunt electi. E. pauci sunt vocati: Quamvis hic alij respondeant minorem virtute negantem esse, mihi tamen aridet hæc responsio: enm dicitur minor vel sumi ita: pauci sunt electi, & ita totum concedi argumentum: Vera enim est hæc conclusio E. aliqui sunt vocati: Si verò adversarius instet: Si aliqui E. non omnes, tunc nos respondemus, nullam esse consequentiam, quia unius positio non est alterius exclusio. Vel minor ab adversarius dicitur ita accipi: pauci sunt electi i. e. quidam homines tantum sunt electi & ita quinque termini erunt in syllogismo si ita proponatur: Omnes electi sunt vocati, Pauci i. e. aliqui tantum sunt electi Ergo pauci i. e. aliqui tantum sunt vocati.

25. Indefinita propositio est, quæ nullum habet signum, cum tamen universale vel particulare habere possit: ut homo est rationalis homo est miles. Sed hic observandum est, subjectum debere esse terminum communem, si propositio debeat esse indefinita. Si enim subjectum sit singulare quid, propositio non erit indefinita, sed singularis.

26. Singularis propositio est, cujus subjectum est singulare, quid vel individuum quid. ut Socrates currit: Huc referunt omnes enunciationes, cujus subjectum est aliquod individuum; prout igitur varia sunt individua variæ etiam efferuntur propositiones singulares. Vel enim individuum est proprium aliquod nomen:

ut



ut *Johannes legit* vel effertur pronomine demonstrativo & nomine communi: ut hic homo ambulat, vel termino vago: ut *Aliquis studiosus disputavit* vel per *περίφρασιν* dicitur ut Romanae eloquentiae princeps id est. Cicero hæc dicit vel *κατ' ἐξοχήν* ita efferi solet nomen aliquod commune: ut Poëta (virgilius) hæc habet Apostolus (Paulus) inquit.

27. Ad propositiones singulares referri etiam queunt enunciationes in quibus subjectum accipitur pro natura communi ab inferioribus abstracta per suppositionem simplicem vel *παρακινῶς* materia vocis per suppositionem materialem ut Homo est Species. Alicubi est adverbium. Ita etiam de Quantitate dictum est: sequitur finitas & infinitas propositionum.

28. Enunciatio est vel finita vel infinita: *Finita* est, cujus tam Subjectum quam Prædicatum est terminus finitus ut *Homo est disciplina capax*. Infinita verò est cujus vel subjectum vel prædicatum vel utrumq; est terminus infinitus: Et hæc est vel *infinita infiniti subjecti*, si subjectum est terminus infinitus ut *Omni qui non est doctus est rudis*: vel est *infinita infiniti prædicati*, si prædicatum est vox infinita; ut, *omnis homo est non Leo*: vel est *infinita*, tam *infiniti subjecti* quam *prædicati*, si videlicet utrumq; extremum est dictio infinita ut omne non rationale, est non homo.

29. Maximum autem discrimen est inter propositionem infinitam, & negantem: Particula enim negans in infinita propositione est pars subjecti vel prædicati, vel utriusq; at in propositione negante, neq; ad subjectum neq; ad prædicatum pertinet sed ad copulam.

30. Canones de Quantitate propositionum ut & earundem finitate & infinita lubens hic subjungerem, sed ut etiam ad cætera absq; prolixitate pergere possim, eodem silentio plusquam Pythagorico hic loci involvo. Sequitur doctrina de

### OPPOSITIONE.

31. Agimus h. l. de oppositione enunciationum, non terminorum. Nam de oppositione terminorum aliàs agi solet in prima mentis operatione, ubi tractatio instituitur de oppositis. Non tamen hic de omni oppositione enunciationum agitur, sed de ea

B

tan

*Differen  
infinitæ*



tantum quæ consistit in affirmatione & negatione: Sic oppositio propositionum quæ in propositionibus, juxta prædicata contradictoria, contraria vel privativa oppositis cernitur huc non pertinet, ut *Chimera est ens* Chimæra est non ens: *Johannes est calidus*: *Johannes est frigidus* &c.

32. Def: Oppositio est pugna duarum enunciationum iisdem terminis constantium pugnantium secundum affirmationem & negationem, Aristoteles lib. de interpret. cap 6 §. 4. ita definit *Ἀντίφασις ἐστὶ Κατὰ φασις καὶ ἀπόφασις αἰ ἀληκείμεναι* i. e. Oppositio est Affirmatio & negatio opposita. λέγω δὲ ἀντικείμεναι τὴν τῷ αὐτῷ Κατὰ τῷ αὐτῷ. Dico autem opponi eam, quæ est ejusdem de eodem.

33. Dicitur in definitione nostra oppositionis, quod enunciationes duæ debeant pugnare secundum affirmationem & negationem ut excludatur oppositio subalterna, quæ est nulla.

*simila xpe  
ositionis.*

34. Requisita veræ oppositionis sunt: I. Ut termini in utraq; propositione opposita sint & maneant iidem: Non ergo debent esse æquivoci vel ambigui, sed eandem suppositionem, ampliatiorem restrictionē & si quid est simile habeant necessū est: Sic peccant contra hoc requisitū hæc exempla, Nullū malū (culpæ) est à Deo, Quoddam malum (pœnæ) est à Deo, Diaboli credunt intellige fide historicā, Diaboli non credunt videlicet fide vera & Salvifica. II. Termini debent collocari eodem ordine. i. e. ille terminus qui in propositione priore fuit subjectum, debet manere subjectum, qui prædicatum, similiter debet constitui prædicatum in altera propositione. Sic hæc enunciationes non sunt verè oppositæ: Omnī logicus est homo, quidam homo non est Logicus. Nullus homo est lapis: Omnis lapis est homo. III. Termini non debent augeri vel diminui: Ratio, quia aliàs peccabitur contra primum requisitum veræ oppositionis. Hinc hæc oppositio non est legitima: Omnī homo contingenter est doctus: Quidam homo non est doctus. IV. Termini debent pugnare secundum affirmationem & negationem. Hinc hæc enunciationes non sunt oppositæ: Omnis homo est rationalis. Quidam homo est rationalis. V. Termini sumendi sunt secundum idem i. e. secundum eandem partem.

Hinc



Hinc peccant hæ oppositiones: Christus est omniscius ad Coloss. 2. v. 3. Christus non est omniscius, cum dicitur ignorasse extremum iudicij diem. Christus est ante Abrahamum Joh. 8. v. 58. Christus non est ante Abrahamum; est enim verus homo in tempore natus Joh. 10. v. 33. quod factum est in N. Testamento, Abraham autem vixit tempore V. Testamenti. Verum in hisce & similibus oppositionibus vitium inde nascitur quia oppositio fit secundum diversas partes vel quasi partes. Plura hujusmodi exempla hinc inde passim in sacris de Christo occurrunt. VI. Termini accipiendi sunt ad idem id est eodem modo, statu, conditione, & respectu: Sic, Petrus est Præceptor respectu sui discipuli, Petrus non est Præceptor, ratione sui Præceptoris, ambæ hæ oppositæ contradictoriæ veræ sunt: quod tamen repugnat legi contradictoriarum; Verum hoc vitii inde natum est, quia diversus hic positus est respectus. Diversus autem respectus tollit omnem oppositionem. VII. Oppositæ enunciationes debent fieri eodem exactè spectato tempore: Sic, Paulus fuit persecutor Ecclesiæ: Paulus non fuit persecutor Ecclesiæ: diverso tempore utraq; hæ propositio vera est. Persecutor Ecclesiæ fuit ante conversionem, non fuit post conversionem.

35. Oppositio est vel apparens vel reverâ talis: Apparens oppositio est, qua unum alteri revera non opponitur, seu in qua una vel plures conditiones, vel requisita supra posita legitimæ oppositionis non observantur: Sic omnes illæ oppositiones, in quibus termini sumuntur diversimodè adeoq; non manent iidem, quæq; non fiunt secundum idem ad idem & eodem tempore, sunt apparenter non revera tales. Oppositio verò vera vel revera talis est in qua omnes conditiones & requisita legitimæ oppositionis observantur.

36. Vulgo quatuor faciunt oppositionum species: ita ut sit oppositio vel subalterna, vel subcontraria, vel contraria vel contradictoria.

37. De subalterna oppositione vulgò ita dicta quid censendum ex supra dictis patet.

38. Subcontraria oppositio est inter duas particulares qualitate dissidentes id est inter propositionem particularem affirmativam

*Oppositio  
vera*

*vera oppos*



tivam & negativam, & vice versa. ut *Quidam homo est Philosophus. Quidam homo non est Philosophus. Quidam homo non est nobilis. Quidam homo est nobilis.*

39. De Subcontraria oppositione altercantur Philosophi alii enim affirmant esse veram oppositionem, alii negant: Nos quid hac de re sit sentiendum in conflictu dicemus.

40. Oppositio contraria est inter duas universales enunciationes qualitate dissidentes id est inter Universalem affirmativam & negativam, ut: *Omnis homo est justus: Nullus homo est justus.*

41. Sunt qui & hanc oppositionis speciem rejiciunt, verum nos illam retinemus cum aliis; est enim vera oppositionis species, quia vera oppositionis definitio eidem competit, omnesque conditiones verè oppositarum enunciationum ei quoque conveniunt.

*Obiect.*  
42. Obijciunt alias contra hanc sententiam in thesi præcedenti positam: *Omnis oppositio legitima debet immediatè dividere verum à falso, At oppositio contraria nō dividit immediatè verum à falso, Ergo oppositio contraria non est oppositio legitima Resp. ad majorem, eandem non esse simpliciter & absolutè veram, si major enim intelligatur de oppositione contradictoria, vera est, si minus, falsa est: Immediatio enim & oppositio sunt duo distinctæ, nec immediatio est de formali ratione ipsius oppositionis ut sic; Imo vera & perfecta oppositio est inter duos terminos pugnantes, videlicet inter caliditatem & frigiditatem, non tamen ibi datur immediatio: Angelus enim neque calidus neque frigidus est; est enim spiritus, carens hujusmodi qualitatibus elementaribus; Quidni ergo vera oppositio propositionum erit, ubi non datur immediatio?*

43. Oppositio contradictoria est inter duas propositiones & quantitate & qualitate dissidentes id est. In oppositione contradictoria opponuntur duæ propositiones, quarum una est Universalis Affirmativa, altera particularis negativa & vice versa: vel una est Universalis negativa, altera particularis affirmativa, & vice versa, ut: *Omnis homo est Magistratus: Quidam homo non est Magistratus: Nullus homo est subditus Quidam homo est subditus.* Ad oppositionem contradictoriam referunt etiam oppositionem singularium; habent enim legem & conditionem oppositionis contradictoriarum.



44. Notandum hic est, modum illum in scholis usitatricem & vulgarem contradicendi, ubi videlicet faciunt contradictionem, per negationem copulæ, ita ut negatio præponatur copulæ enunciationis non semper & ubiq; procedere. Sic non procedit in enunciationibus in plurali numero formatis: *Omnia entia sunt creata, quadam entia non sunt creata. Omnia entia sunt finita, quadam entia non sunt finita.* Non sunt hæ enunciationes verè contradictoriæ, quia in priori & posteriori exemplo ambæ propositiones sunt falsæ, quod est contra legem contradictoriam. Hic ergo modus opponendi exactior & certior esse videtur, quæ fit per negationem totius orationis, ita ut uni contradicentium præfigatur negatio. ut omnis homo est Philosophus. Non omnis homo est Philosophus. Hanc opponendi rationem videtur innuere Aristoteles ipse lib. de Interpret. c. 7. cum dicit: *πᾶς ἀνθρώπου ἔστι λευκός, ἔτι πᾶς ἀνθρώπου ἔστι λευκός* Omnis homo est albus. Non omnis homo est albus. Hanc opponendi contradictorie rationem Excellentissimus Hornejus in suo compendio Dialecticæ num. 12. lib. 2. cap. 5. de oppositione p. 79. vocat præcipuam & formalissimam. Sic igitur facilè in exemplis antea datis vera contradictio institui potest, ut: *Omnia entia sunt creata. Non omnia entia sunt creata.* Sensus hujus propositionis est: falsum est id quod dicis, omnia entia esse creata, datur enim ens quoddam quod est increatum, vel quod non est creatum. Sic verè contradictoriæ hæ sunt. *Omnia entia sunt finita, Non, omnia entia sunt finita. Sic soli angeli sunt adorandi; Non, soli angeli sunt adorandi vel nequaquam soli angeli sunt adorandi:* In hac ultima propositione integra oratio tollitur per particulam *nequaquam*, ita ut sensus hujus orationis sit; falsum est, quod angeli sunt adorandi, falsum, quod etiam soli sunt adorandi. Deus enim solus est adorandus prout Théologi nostri ex sacris apodicticè id probant.

45. Lex contradictoriarum est, ut una sit vera & altera falsa & vice versa: ut Omnis homo est rationalis; Non omnis homo est rationalis: Contrariæ hanc habent Legem & naturam ut interdum simul falsæ esse possint, nunquam simul veræ, ut: *Omnis homo est Logicus. Nullus homo est Logicus.* Subcontrariarum natura est,



ra est, ut possint esse simul veræ, nunquam simul falsæ. ut *Quidam homo est Philosophus: Quidam homo non est Philosophus.*

46. Harum legum demonstrationes vide in compendio Dialectices auctiori Claris: & Excell viri Hornei. *lib 2. cap V. de opposit. num 14. & seqq. p. 80. & seqq. itemq; in ejus disputatione Logi. IV. de Enunciationibus absolutis thes. 97. 98. 99. p. 69 & seq. Tantum etiam de oppositione hac vice dicere volui, pergo ad doctrinam de Equipollentia.*

*Equipollentia* 47. Equipollentia est convenientia plurium enunciationum in sensu.

48. Equipollentia alia est materialis alia est formalis.

*pollentia  
tatis*

49. Equipollentia materialis est, quæ consideratur ratione terminorum & constat ex terminis ejusdem significationis ut Cicero est homo. Tullius est animal rationale. Paries est albus: vel in pariete est albedo: vel, Paries tinctus est albedine: Hæc æquipollentia propositionum est materialis, quia spectat saltem ad nudam convenientiam propositionum in sensu, non ad formam enunciandi.

*formalis*

50. Equipollentia formalis est, quando duæ propositiones in qualitate, & quantitate, veritate & falsitate, mediante signo per adventum negationis æquivalent: prout Nicolaus de orbellis eodem modo describit, cum inquit: Equipollentia est æquivalentia duarum propositionum in qualitate & quantitate veritate & falsitate, mediante signo, per adventum negationis. Tataretus ita eandem definit: Equipollentia est duarum propositionum utroq; termino participantium secundum eundem ordinem unius ad aliam, formalis consequentia propter negationem præpositam tantum, vel postpositam, vel præpositam & postpositam simul. Sic hæ propositiones æquipollent: Omnis homo est animal. Nullus homo est animal: Non quidam homo non est animal; Nam conveniunt in quantitate, qualitate & veritate: Omnes enim affirmativæ universales & veræ sunt, & quidem hæ convenientia vel æquipollentia instituta est mediante signo per adventum negationis; quare formalis illa erit, quæ dependet ex forma enunciandi, quæ etiam hujus loci est.

51. Ut



51. Ut autem recte æquipollentes propositiones facere queamus, notandus est hic versiculus: Præ contradict. Post contra: Præ postq; subalter. Sensus hujus versus est. Si ex contradictoria debet fieri æquipollens propositio, tunc particula negans debet præponi signo; ut omnis homo est animal, hæc propositio habet hanc contradictoriam. Quidam homo non est animal, hanc nunc reddo æquipollentem primo per particulam negantem ipsi signo præpositam hoc modo: Non quidam homo non est animal: Si ex contraria æquipollens enunciatio fieri debeat, tunc assumitur ejus contraria propositio, & postponitur particula negans ipsi toti subjecto vel potius ipsi copulæ præponitur: ut, Omnis homo est rationalis, habet hanc contrariam: Nullus homo est rationalis: quæ æquipollens fit priori, si postponitur particula negans toti subjecto id est si præponitur immediatè ipsi copulæ hoc modo: Nullus homo non est rationalis: Si deniq; ex subalternantè vel subalternata æquipollens propositio fieri debeat, tunc particula negans & præponenda & postponenda venit, id est præponenda est signo & postponenda est toti subjecto id est ponenda est ante copulam. Sic hæc Subalternata: (Quidam homo non est doctus) habet hanc subalternantem: Nullus homo est doctus, quæ æquipollens fit priori si præponatur ipsi signo & copulæ particula negans hoc modo: Non nullus homo non est doctus. Et hic est modus verus faciendi propositiones æquipollentes.

52. Fundamentum verò hujus rei, cum dicitur particulam negantem præpositam toti enunciationi contradictoriam contradictoriæ præpositam copulæ seu postpositam signo & subjecto, contrariam contrariæ, & deniq; præpositam & postpositam subalternantem subalternatæ vel vice versâ hanc illi æquipollentem reddere consistit in trita illa Scholasticorum regula de particula negante, quam dicunt esse malignantis naturæ & eandem destruere, quicquid post se invenit id est & quantitatem & qualitatem.

53. Rationem æquipollentiæ includunt aliàs his versibus idq; memoriæ ergo faciunt.

Non



Non omnis, quidam non, omnis non quasi nullus;  
Non-nullus, quidam; sed nullus non valet omnis;  
Non-aliquis, nullus; non quidam non, valet omnis.

54. Equipollentia est vel propriè, vel impropriè dicta; De æquipollentia propriè dicta, quâ duæ enunciationes plane eodem terminos id est idem subjectum & prædicatum, eandemque quantitatem & qualitatem mutatis tantum signis & apposita vel adempta particula negante retinere dicuntur nunc dictum; Equipollentia impropriè dicta est consecutio finitarum & infinitarum ad se invicem: Ita æquipollent universalis affirmans finiti prædicati & universalis negans infiniti prædicati; ut: *Omnis homo est disciplina capax; Nullus homo est disciplina capax;* Item Universalis negans prædicati finiti & universalis affirmans infiniti prædicati, ut: *Nullus homo est leo, omnis homo est leo.* Sic particularis affirmans finiti prædicati & particularis negans infiniti prædicati, ut: *Quidam homo est Theologus, Quidam non est Theologus* Denique particularis negans finiti prædicati, ac particularis affirmans infiniti prædicati, ut: *Quidam homo non est Monarcha & quidam homo est non Monarcha.*

55. Dicitur autem hæc æquipollentia impropria, quia termini non retinentur iidem; Unus enim terminus est finitus, alter est infinitus: nec etiam eadem servatur qualitas: Una enim propositio est affirmativa, altera est negativa.

56. Regulas de Equipollentiis & consecutione ex Scheibler & aliis libenter subjungerem, se ne nimium excrescat disputatio, eas hic silentio prætereo. Tantum itaque etiam de Equipollentia & consecutione.







## COROLLARIA.

I.

*An forma dignitas in Magistrature respicienda? Resp. interdum observari posse, si adsit cum ea virtus, ejus enim prima cura esse debet. Sed tamen potest esse bonus imò optimus Magistratus qui non pulchram habeat formam. Hinc Lacedaemonij in Agefilao eligere statuerunt, melius esse Regem incessu, quam imperio regnum claudicare.*

II.

*An invito deferendus sit Magistratus? Resp. interdum in vitos etiam ad Magistratum compellendos esse. Sed tamen limitationes quaedam hic observandae sunt, nec enim omni excusationi praclusus locus, etatis scilicet, professionis, fortuna, imbecillitatis.*

III.

*An peregrino imperium deferendum? Resp. Interdum utiq; id fieri posse. Quia etiam extranei fidi, prudentes, ingeniosi & Republicae utiles esse possunt.*

IV.

*An principi fidem fallere licitum? Resp. neg. quod est contra Machiav. Alphonsus solitus fuit dicere tantum valere apud Regem debere verbum simplex, quomodo privatorum jus jurandum.*

V.

*An Princeps solutus sit simpliciter legibus? Resp. Neg.*

*Laudo*



**L**audo tuum studium, BERCOV| conamina laudo  
Et precor hisce tuis ut ceptis adsit JOVA  
Sic etenim posthac poteris contingere metam,  
Metam, quâ veniet tibi nomen, gloria, fama.

Simon Johannes Gutzmer D.

*Ad Praestantissimum & Doctissimum Dn. Respondentem.*

**DANIELEM BERCOVIUM,**

Amicum perdilectum.

**A**dit JOVA tuis in ceptis, dulcis Amice,  
Ut pergas nodos solvere ritè  $\alpha\phi\omega\upsilon$ .

Hoc, tibi, facturo, continget, fama perennis,  
Atq; dabunt Musæ præmia multa tibi.

*Petrus Kock, Strals. Poim.*

**D**um sua bellistrepus tristissima jura sub armis  
Exercet Mavors, & nova bella ferit  
Tu quoq; BERCOVI, doctissima praelia misces  
Praelia Phæbeo non inamana choro.

*Strenuus in castris furiosi Marcis alumnus  
Innocuo ferrum sanguine sæpè linit.*

*Maxima tu contra abnorme deliria secta  
O charitum soboles arte secare paras.*

*Hoc laudo: nec enim nunc recta à semita aberrat  
Quæ facili doctis est peragenda pede.*

*Perge ita: nec pulchrè ceptum perferre laborem  
Abnue, sic tandem digna brabeia feres.*

Hec Amico suo integerrimo l.m. q; apponere voluit


Joachimus Schröder.














XL. *Demonstratio quæ fit à causa remota* e-  
 clusionem negativam, nunquam affirmativam  
 remotâ, non necessariò ponitur effectus, subla-  
 motâ, tollitur effectus. Unde syllogismi dem-  
 remotâ sunt in *secunda figura* in modo *Camest*  
*quid respirat, habet animam sensitivam, Lapis*  
*sensitivam. E. lapis non respirat.* In hac demo-  
 sensitiva est causa remota respirationis, non pr-  
 sitâ animâ sensitivâ, non ponitur respirationis, p-  
 sensitivam habent, non tamen respirant. Pu-  
 proxima respirationis. Exinde perspicuum est,  
 sa, e. g. *animâ sensitivâ* non posse procedere a-  
 ctum, respirationem. Negativè tamen optin-  
 quentia, Sublatâ enim causâ remotâ, effectus  
 monstratio à causa remotâ habet aliquam conve-  
 monstracione absolutè ita dicta, quia utraq; e-  
 ficit ab ea 1. quia non est causa proxima, per  
 a. quia propositiones non sunt immediatæ. De  
 effectu longè est perfectior illâ, quæ est à causa  
 demonstracione ab effectu propositiones imm-  
 non contingit in demonstracione à causa rem-  
 quata causa est, neque propositiones immediatæ.

XL. Sed dicat fortassis aliquis hanc divisi-  
 tionis non esse immediatam, sed dari alia gen-  
 erum idq; probet objiciendo. 1. Averrois opinio  
 genera demonstracionum, aliam *τὴ ὄν*, aliam  
 niq; quâ demonstratur *τὸ ὄν* & *διόν* simul. In  
*com. 95. & in epist. cap. de demonstracione & lib. 2*  
 alibi Resp. Objicienti hoc dubium, non esse  
 monstracionem aliam *propter quid tantum*, aliam  
*simul*. Nam omnis demonstratio *διόν* involvit

2. Objiciunt & alij hoc modo: Si datur dem-  
 ad effectum, & vicissim ab effectu ad causam,  
 monstratio ab effectu ad effectum alium nec  
 Ratio, quia propter necessariam effectuum con-

C



on-  
 usâ  
 re-  
 fa-  
 yic-  
 am  
 ra  
 po-  
 am  
 usa  
 no-  
 ffe-  
 se-  
 de-  
 de-  
 de-  
 rat.  
 ; ab  
 a in  
 od  
 da-  
 ra-  
 io-  
 ria  
 de-  
 ost.  
 &  
 on-  
 uid  
 usa  
 de-  
 m.  
 fla-  
 ria